

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Dilectio c  
cum uariis

Dilectio sola discernit inter filios Dei et filios dyaboli. Signent se omnes signo crucis, respondeant omnes amen, cantent omnes alleluya, baptizentur omnes, intrent ecclesias, impleant parietes basilicarum. Non discernuntur filii Dei a filiis dyaboli nisi caritate. Qui habent caritatem nati sunt ex Deo, qui non habent caritatem non sunt ex Deo. Magnum iudicium, magna discrecio; quicquid uis habe; hoc solum nisi habeas nichil tibi prodest; alia si non habeas, hoc habe et implesti legem.

Augustinus ibidem super illud I. Iohannis: In hoc manifesti sunt filii Dei et filii dyaboli.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

intrent] omnes *add. (del. sub lin.)* M; qui non habent...ex Deo *om.* B; iudicium] indicium V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; habe] ha M, habere P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; habeas] habeat (*cor. intra*) C; I. *om.* C